



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quod regiones, & loca maximè sint consideranda, vbi nascantur simplicia.
Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

Tempus caules colligēdi, quum flores emarcuere, alio enim tempore vsui ineptiores. Semina quum maturitate casum minantur. Sunt & magis peculiaria. In calidis & tenuibus in principibus cœli locis constituendi sunt Sol & Mars, in humidis Luna, nec collabentur in decidua loca, & cœtera: nam hoc modo collecta ad medicos vsus maximo sunt emolumento.

Quod regiones, & loca maximè sint consideranda, ubi nascantur simplicia. CAP. XVI.

Nec eis raro errare contingit in plantis, metallicis, ijsque similibus, qui loci situ spreto ea propinant, quæ in vsum, & manus veniunt. Si quis vero id integrè assequi velit, non parum conducit si cœli status, & loca spectentur propria: vti enim locus diuersas fortitur temperaturas, ita & diuersitatem in plantis operari potest: & tantam aliquādo in plantarum virtutibus mutationem causatur, vt non solum huius disciplinæ rudimentis initiati sæpenumero fallantur, sed in earum virtutibus inquirendis & Medici, & qui non parum Philosophiæ studijs nauant operam. Cuius rei meminit Plato. Munivit Natura naturans loca terræ virtutibus diuersis, vt eis sigillentur virtutes diuersæ, vt in plantis, & rebus alijs, quales merentur secundum genus eorum. Cui consimilis est Porphyrij sententia. Quod locus est generationis principium sicut & pater. Cicutam è Susi Theophrastus colligendam iubet, quippe Thrasiæ Mantinensis eo loco sumendam censēbat, vel si quæ alia loca prægelida erant, cuius succus Athenis venenum poena Atheniensium publica inuisus, quem quum Socrates præsumpsisset, præsentanea de medio morte sublatus est: hic autē impunè sumitur, & bestijs commanducatur. Niger elleborus Oera monte, & Parnasso præstantissimus, alibi hebes & imbecillis: quare Hippocrates Democritum curaturus, è montibus colligendum curauit. Et Achæiæ apud Cabyriam maximè, vt refert Theophrastus, vitis quoddam genus habetur, cuius vinum abortiuum facit, & vbi canes vuas comederint, eas quoque abortiuum periclitari necesse est, & in gustu, nec
vua

vua sensum alium, quam cæterę vuæ faciūt, nec vinam à cæteris vinis distare percipitur. Medicamenta, quæ in Eubœa oriuntur meliora, quę ferat Æge, deteriora quę Telethrium, asseuerat, sunt enim illa sicciora: Telethrium autem locum esse opacum, atq; subriguum. Et in Perside ferunt lethalem nasci arborem, cuius sunt poma præsentis veneni, vt illico vescentes interimant: quapropter in supplicijs tantum ijs vtebantur, Regibus tamen in Ægyptum translata, & Persianam perfidiam exuta, cibus idonea, & salubria defert poma. Columellæ de hac extant versus;

*Stipantur calarhi & pomis, qua barbara Persis
Miserat (vt fama est) patrijs armata venenis:
At nunc expositi paruo discrimine lethi,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.*

Clarum est, Dioscoridis autoritate, quod magni quidem refert, si loca, in quibus prodeunt cliuosa, ventis exposita, proflata, frigidaque, & aquis carentia: in his enim locis vires eorum longè validiores intelliguntur: contra quæ in campestribus, riguis, & opacis, cæterisq; locis à vento silentibus enascuntur, plerunque degenerant, & minus viribus valent. Vnde si per regiones multum à primis distare videntur, neque pares retinent vires, eo deferantur loci, & vnde maximè vim illam sortiri videntur.

Locorum, & fontium proprietates aliquæ, qua operi nostro conferre possunt. CAP. XVII.

NEC minus locorum diuersitas in varijs rerum effectibus operatur. Locus enim quoque terrarum, aquarumque miracula retinet multa, quæ rectè scire & nouisse Magum oportet: nam sæpenuero videmus, aliqua situs ratione solum operari, & miracula afferre ob cæli inclinationē, & Solis imperum longius, & propius accedendo, recedendoq;: Si enim terra vna ab altera non differret, non solum in Syria & Arabia in harundinibus, iuncis, herbisq; essent odores & thuriferæ arbores, neq; piperis baccas, neq; myrrhæ glebulas darent, sed in omnibus terrę locis generis eiusdem omnia